

Liber II.

De virtutibus et officiis circa homines humanaque bona.

Divisio I.

De extensione theologiarum virtutum ad ipsum hominem tamquam objectum secundarium.

⁵⁶⁸ Haec theologiarum virtutum extensio ad hominem num existat, si quaeritur, id primo *de fide* plane debet negari. Fides enim, quae creaturae vel homini credit, nullatenus est virtus theologica. — Dein neque *spes*, quae in homine fiduciam collocat atque ab eo adiutorium expectat, theologica virtus esse potest. Ad summum ad spem indirecte revocari aliquo modo potest fiducia, quam in meritis intercessionemque Sanctorum reponere catholica fides nos docet. Quamquam enim in meritis Christi, seu in omnipotentis Dei bonitate et misericordia, quam propter merita Christi ad nos in supernaturali fine consequendo juvandos se nobis impensurum esse pollicitus est, omnis nostra spes fundatur: tamen illud divinae misericordiae adiutorium ipsiusque Christi meritorum applicationem per Sanctorum intercessionem facilius et abundantius fieri, non est dubitandum. Sed haec innuisse sufficiat.

Proprio sensu sola *caritas* relinquitur, quae a Deo ad homines extendatur. Quare totam materiam hinc tractandam *unica* sectione complectimur, *extensione caritatis* ad ipsum hominem.

Videlicet recolenda est doctrina superius exposita, caritatem divinam seu theologiam verum amorem amicitiae esse, quo Deum tamquam amicum propter se dilectum amplectamur, eamque in intima illa conjunctione seu communicatione fundari, per quam Deus nos suos familiares suaeque naturae participes, adeoque filios adoptivos atque membra familiae divinae constituat. Quoniam autem amicitia cum amico omnia, quae ad amicum pertinent, omnemque ejus familiam eodem amicitiae affectu prosequitur, facile patet, nos posse tum proximum tum nosmetipsos tamquam aliquid Dei atque partem divinae familiae diligere.

Caput I.

De caritate et amore, quem homo sibi ipse debet.

Articulus I.

De notione et officio caritatis erga nosmetipsos in genere.

Quum Deus ipse hanc sublimem elevationem et unionem secum ⁵⁶⁹ habendam pro fine nobis constituerit: manifestum est, non solum nos posse, sed nos debere nosmetipsos caritate diligere. Quae dilectio postulat, ut nosmetipsos pro vera nostra dignitate *aestimemus*, eamque *conserveamus*, efficaciter bona nostra vera procuremus atque *promoveamus*. Nondum enim in boni nostri plena possessione constituti sumus, sed ad eam acquirendam et inamissibiliter tenendam contendimus. Hinc:

I. Quum veri boni cura atque acquisitio ab ejus cognitione atque dignitatis nostrae cognitione dependeat, officium primum, quo erga nosmetipsos obligamur, est vera *nostri finis cognitio*.

Quare quae dicta sunt supra de necessitate cognoscendi et credendi principales fidei veritates, non solum ex praecepto fidei et cultus Dei debiti oriuntur, sed summopere ex caritate hominis erga se ipsum obligatoria esse cognoscuntur. Gravissime igitur contra hoc officium caritatis peccant:

1. Qui culpabili negligentia ea addiscere non curant, quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem.

2. Qui culpabili negligentia ea addiscere et retinere non curant, in quibus homo institutus esse debet, ut christianam vitam digne ducere possit.

II. Sed non solum finis atque dignitatis nostrae et aptorum finis assequendi mediorum cognitionem nobis debemus, sed caritatem nobis debitam etiam exercere debemus veri boni nostri efficaci prosecutione. Quae boni prosecutio ad tria potissimum bonorum genera sese extendit:

Primum bonum, quod, etsi non omnium summum in se, tamen omnium fundamentum est, consistit in vitae nostrae nostraeque personae, ut homines sumus, conservatione.

Secundum bonum illud est, quod est in se summum atque summe necessarium: divina amicitia, quae fruitivae cum Deo in altera vita unionis germen est et arrha, atque hujus amicitiae acquisitio, conservatio, augmentatio, brevi, vita supernaturalis ejusque augmentum.

Tertium bonum ea complectitur, quae ad priora genera servanda vel comparanda media quaedam sunt, quibus pro divina voluntate in hac terrena vita ut homines et christiani, sive ut individui homines sumus, sive ut sumus membra societatis, vivamus digne. De singulis speciatim plura.

Articulus II.

De cura nobismetipsis ex caritate debita in specie.

Caritas quidem postulat, ut interno affectu nos ipsos prosequamur; ⁵⁷⁰ at id sive explicitè sive implicitè facimus, quando Deum actu caritatis amplectimur et in eum tamquam supernaturalem finem nostrum ten-